

Sed nec verosimile est, prosequitur idem Estius, eos omnes simpliciter sua reliquie; tum quia è vulgo hominum pluri erant qui crederentur; tum quia satis apparet ex Evangelio fuisse inter eos qui proprium aliud haberent, quamvis interim Christus et apostoli viverent in communi: nam Maria, Martha et Lazarus Christum frequenter hospitio exceperunt. Item mulieres multæ Christum suis facultatibus sustentarunt, ut dicitur Luca 8, et demoniacus apud Gerason curatus, cum vellet Christum corporaliter sequi, jussus est apud suos remanere.

Nec etiam verosimile est centurionem, regulum, et alios multos, qui cum tota familia in Christum crederentur, omnibus suis divenditis, statim ad communem aliquam vitam se contulisse: presertim cum illius rei nec in Evangelio, nec alibi ulla probabilitas vestigia appareant. Imò nec illi fideles qui Jerosolymis erant, omnes omnino, nullo excepto, hanc evangelicæ consilii perfectionem amplexi videntur. Erant enim ibi Nicodemus, Gamaliel, Joseph ab Arimathea, alique principes multi, de quibus Joan. 12, v. 42, qui non videntur hoc fecisse, cum non sequerentur publicè Christum, ne è synagoga eijcerentur.

Prob. 2^a quia moraliter loquendo, in tantâ multitudinem conversi fuerunt mariti sine uxoris, uxores sine maritis; parentes sine filiis, filii sine parentibus, etc. Atqui illi non poterant vivere in communi: ergo. Prob. 3^a quia non tenebantur in communi vivere; nec apostoli ad hoc sollicitabant fideles; ergo non est verosimile quòd omnes ita vixerint.

Prob. ant., quia cap. 5, v. 7, dixit Petrus Ananiam: *Cur tentasti Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri. Nonne manens tibi manebat, sed erant illis omnia communia.* Et v. 54: *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferbant pretia eorum quæ vendebant: et ponebant ante pedes apostolorum.*

Resp. nullo modo esse credibile quòd omnes omnino vendiderint suas domos et suos agros. Undenam enim vixissent post consumptum pretium, quod certò debebat totum consumi, cum illis pecuniis nec reditus emerent, nec negotiarentur, nec tandem irent mendicatum.

Dico igitur cum Estio verba objecta intelligi de illis duntaxat, aut potissimum, qui una aut altera Petri

predicatione, post acceptum Spiritum sanctum crederunt. Quamquam nec affirmare ausim, inquit mox citatus interpres, omnes illos sine exceptione ad tantam perfectionem se contulisse: maxime quòd credibile sit inter eos fuisse, quòd illi familiæ essent, parentibus novidum creditibus, aut conjugati conjugibus novidum creditibus, aut aliâ ratione non potuerint de bonis et de statu suo disporre. prout eperent, etiamsi quàm maximè ad illam perfectionem aspirarent.

Fortè etiam nec conjuges qui filios habebant, in illam se communitatem dederunt; quia debebant parentes filiis thesaurizare secundum Apostolum. Ananias autem et Saphira non leguntur habuisse filios. Eadem ratione nec illi conjuges, qui continere se nolent ab opere conjugali, videntur in eam congregationem admissi fuisse, etiamsi filios non haberent: poterant enim eis adhuc nasci filii. Totum hoc probabile est, quia cap. 6, legitur ortum fuisse murmur Græcorum adversus Hebræos quòd vidue illorum minus curarentur in quotidiano ministerio, quòd fiebat ex marsupio communi. Nihil autem tale legitur de parentibus erga filios, scilicet quòd questi fuerint non satis sibi suppeditari ad nutriendum filios; presertim infantes et pueros, pro quorum alimonia matres maxime solent esse sollicitæ. Unde verosimile est non alias mulieres quàm viduas et virgines, aut alioqui continentes, in eam societatem fuisse admissas. Ita Estius.

QUESTIO II.

Quinam igitur fuerint illi qui vixerunt in communi.
Resp. cum præcitate Estio: Verosimiliss est istos omnia communia habentes fuisse verè religiosos, quomodo nunc de religiosis loquimur; quia in manibus Petri tanquam prælati vovebant vitam communem, et proinde etiam obedientiam, sine qua vita communis non potest subsistere; item continentiam, sine qua vita illa est plena turbaturum, rixarum et querelarum, propter filios nutriendos, eisque providendum. Et sanè quòd origo vite communis, qualis religiosorum est, referenda sit ad familiam Christi et apostolorum, et consequenter quòd status religiosus sit reverè à Christo institutus.

Probatur, quia essentia status religiosi aequatè consistit in tribus substantialibus votis, simul cum traditione seu donatione, quæ se vovens donat religioni, et acceptatione prælati ac religionis, cui se donat, ita ut religioni acquiratur plena jurisdictio in se donante; atqui hæc omnia sunt ex institutione et erectione Christi; ergo, etc.

Prob. min., quia apostoli hoc modo se Christo sub votis donarunt, et ipse eorum donationem tanquam primus religiosorum præpositus acceptavi cum plenâ jurisdictione in eos etiam ex propria eorum voluntate noviter acquisitâ; ergo Christus formam et normam status religiosi non tantum docuit, consuluit aut prædicavit, sed etiam erexit institutivè et executionè mandavit.

Prob. ant. In primis Petrus nomine omnium apostolorum dixit ad Christum, Matth. 49: *Eccce nos relinui-*

mus omnia et secuti sumus te; quibus verbis votum contineri docet S. Aug., lib. 17 de Civ. Dei, cap. 4. *Dixerunt enim, inquit, potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Hoc votum potentissimum vocerat. S. Hieron. mox citatis Evangelii verbis tria vota distinctè indicari docet, et illo verbo, omnia. non tantum terrena bona, sed maxime uxores intelligit: Quorsum enim, inquit lib. 1 contra Jovinianum, Christus postea de præmio ob uxores relictas sermonem tulisset, nisi in illo, omnia, etiam uxores intellexisset? legitur in illo verbo, omnia, discipulorum habemus paupertatem, et castitatem; in illis verbis: *Et secuti sumus te*, perfectam illorum sub Christo capite acceptante agnoscimus submissionem et obedientiam, in quibus tota essentia status religiosi consistit. Consentiant et alii Patres, quos citatos vide apud nostrum Basilium Pontium, lib. 7 de Matrimonio, cap. 2.*

Ceterum quòd S. Petrus in hoc perfectionis statu successerit Christo, tanquam generalis discipulorum præpositus, eruitur ex hoc cap., ubi, postquam S. Lucas narrasset quòd nemo discipulorum possideret aliquid proprium, sed illis omnia essent communia, subiungit quòd illi qui vendebant agros et domos suas, pretia eorum quæ vendebant ponerent ante pedes apostolorum; et deinde, cap. 5, dum se offert occasio superioritatis, enarrat de Anania et Saphira quòd propter reitentiam pretii parlem, ad severam Petri increpationem subitâ morte mulctati sint. Ananiam autem et Saphiram emisisse votum paupertatis, cujus fœdfragi existerent, monstrabitur cap. 5, quæst. 4. Itaque ex illo facto, apostolos et apostolorum discipulos religiosos fuisse, et Petrum tanquam supremum, cum auctoritate puniendi, fuisse præpositum plures Patres docent; et presertim S. P. Aug., serm. 27 de Verbis Apostoli, quos citatos vide apud Salmeronem, tomo 12 in novum Testamentum, tract. 21.

Nonnulli, ut his respondeant, admittunt tunc quidem emissâ fuisse tria vota, scilicet castitatis, paupertatis, et obedientie, simplicia tamen; atque ideò illis non verè constitutum fuisse religionis statum. Sed licet verum sit vota tunc non habuisse eam solemnitatem quam nunc ex præscripto Ecclesie habent, tamen non habuisse illam solemnitatem essentialem quæ sufficit ad statum religiosum, qui nempe præter emissâ vota nihil aliud requirit quàm donationem voventis, et legitimam acceptationem prælati, nunquam ostendunt.

Obj. 4^a auctoritatem S. Bernardi, in Apologia ad Guillelmum, ubi expressè videtur docere ordinem, qui primus fuit in Ecclesia, esse institutum ab apostolis. Parum enim ante finem sic lamentatur: *Heu me miserum qualemcumque monachum, cur adhuc vivo videre ad hoc devenisse ordinem nostrum, ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo caput Ecclesie, cujus apostoli institutores fuerunt, cuius hi quos Paulus tam sæpè sanctos appellat, inchoatores fuerunt.* Ex quibus videtur sequi primò apostolos fuisse religiosos status institutores, et non Christum. Secundo, illos non

fuisse religiosos, quia dicit eos quos Paulus sanctos appellat, fuisse inchoatores.

Resp. apostolos, eorumque discipulos dici à S. Bernardo vitam religiosam inchoasse, et instituisse, non quasi eam non instituerit Christus, sed quia primi fuerunt qui exemplo suo, ope et professione alios ad hoc incitarunt, et una cum fide religiosum statum per mundum propagarunt.

Obj. 2^a: S. Chrysost., hom. 23 in Epist. ad Heb., dicit illa verba Pauli, 1 Cor. 5: *Si is qui frater nominatur, ad omnes tunc fideles pertinuisse, nec tunc fuisse vestigium monachi; sed omnia tunc D. Paulum ad seculares fuisse locutum.*

Resp. verum quidem esse non fuisse tunc monachos aliquos, qui arctissimis illis discipline legibus astringerentur, quibus postea asserit adhiberi tempore S. Chrysostomi, segregati presertim ab hominibus secularibus. Sed hoc non obstante, tempore Christi et apostolorum erant veri religiosi, quoad vota substantialia; in quantum nimirum nihil proprii habebant, et Christo, ac postea S. Petro præstantiam plenam obedientiam, ac in castitate vivebant. Præterea S. Chrysost. videtur tantum loqui de Ecclesia Corinthiorum, ad quam illis verbis scribit apostolus Paulus, in quâ facile fieri potuit ut nulli fuerint, qui studium perfectionis ex voto quod religiosus proprium est, profiterentur.

Porrò S. Chrysost. docuisse quòd apostoli fuerint veri religiosi, patet ex illis quæ scribit hom. 17 ad populum de monachicæ, id est, de monachicâ vitæ loquens: *Tanti est, inquit, philosophia à Christo introducta. Certè si Christus introduxit monasticam vitam, jam erat tempore apostoli Pauli. Vide plura apud Bellarminum, lib. 2 de Monachis.*

CAPUT V.

Ananias, et Saphira uxor ejus, agri pretium defraudantes, divinitus morte repentinâ puniuntur. Apostoli multis, et magnis miraculis coruscant: carceri includuntur, et ab Angelo Domini liberantur. Sistuntur concilio Judæorum, à quibus increpantur propter predicationem fidei Christi: refutant increpationem, et versantur in periculo mortis, sed præsentia Gamalielis evadunt, et pergitur quotidie intra urbem Jerusalem annuntiare Jesum Christum.

QUESTIO PRIMA.

An Ananias et Saphira peccaverint mortaliter.
Resp. verosimiliss affirmativè.

Prob. 1^a quia, v. 5, dicit Petrus Ananiam quòd sit mentitus Spiritui sancto. Et v. 4: *Non es mentitus hominibus, sed Deo;* quia nempe non hominibus, sed Deo paupertatem vovisti. Unde S. P. Aug., serm. 40 de Diversis dicit: *Si Deo displicuit detrahere de pecuniâ quam voverat Deo, quomodo transcurrit Deus, quando vocatur castitas, et non exhibetur? Idem docet S. Fulgentius in Epist. 1, cap. 8, et S. Chrysost. in hoc cap. ait: Pecuniis suas accepit, quas Deo consecraverat. Item S. Hieron., epist. 8, dicit: Ananias et Saphira dispensatores tinvit, imò corde duplicit, et ideò condem-*

nati, quia post votum obtulerunt quasi sua, et non ejus cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienam substantiæ reservaverunt. Etiam Oecumenius istud pretium fuisse Deo oblatum intelligit, et ideo istos conjuges fecisse sacrilegias.

Prob. 2^a quia aliqui SS. Patres censent ipsos esse damnatos, alii ipsos consecutos esse remissionem ante mortem; ergo censent ipsos peccasse mortaliter.

S. P. Aug., serm. 10 de Diversis, dicit: *Credendum est quod post hanc vitam eis pepercerit Deus; magna est enim ejus misericordia.* Et iterum ibidem ait: *Corrupti sunt mortis flagello, ne supplicio punirentur aeterno.* In fine tamen hanc rem sub dubio relinquit: eum enim protulisset illa verba Apostoli. 1 Cor. 11: *Si nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, à Domino corripiamur, ut non cum hoc mundo damnemur,* subjungit: *Quid si ergo huic viro et uxori ejus tale aliquid contigit?*

Dices: Si Ananias habuisset votum paupertatis, non potuisset Petrus ipsi dicere: *Nonne manens tibi manebat, et venditum in tua erat potestate?* Ergo signum est quod paupertatem non voverit.

Resp. Neg. ant. Nam dum agrum venderat, et pretium receperat, nondum voverat; sed tunc tantum vovit, quando partem pretii ad pedes apostolorum posuit: siquidem fideles istius temporis tunc voto se ad communem vitam obligabant, quando sua ad pedes apostolorum afferbant. Unde Anania non totum afferrent, et tamen voverit vitam communem, et rerum suarum dimissionem, dicit S. Petrus: *Mentitus es Deo;* id est, fidem Deo datam fecisti, et irriam fecisti; seu votum quod implere non cogitasti, promissisti ore, non corde. Cum igitur Ananias agrum suo nomine venderit, pretium mansit in ejus potestate; sed dum pretium coram Petro attulit, aliquibus verbis, vel isto suo facto, juxta illius temporis institutionem, paupertatem vovit; et ideo notabilem partem sibi retinendo, graviter peccavit.

Petes, an non possit probari quod Ananias et Saphira graviter peccaverint, ex eo quod tam severe puniti sint.

Resp. negativè: nam non semper aliquis à Deo morte punitur ob magnitudinem peccati, sed in exemplum aliorum. Unde mox subditur: *Et factus est timor magnus.* Hic ergo timor erat finis, quare Deus tam severe duos istos transgressores publice puniit: ne alii quid simile attentarent, et sic pietas primum exurgens, veluti in herbâ suâ conculareretur. Sic ob similem causam, post promulgatam legem veterem, primum sabbati violatorem jussit Deus lapidari, qui tantum ligna collegerat, Numer. 15, v. 35. Item Nadab et Abin filii Aaron ab igne devorati sunt; quia statim, in principio legis de igne sacro accipiendi ad adolendum incensum, igne communi usi fuerant, Levit. 10, v. 1.

QUESTIO II.

An Petrus aliquo modo cooperatus sit ad mortem Ananiam et Saphira.

Resp. cum S. Hieron., epist. 8: *Petrus nequaquam*

imprecatur eis mortem, ut stultus Porphyrius calumniam; sed Dei judicium spiritu prophetico annuntiat. Itaque Petrus nullo modo ad mortem eorum cooperatus est, nequidem tanquam Dei minister, sed tantum peccatum ipsorum redarguit. Unde S. Thomas, 2-2, q. 64, art. 4, ad 1, dicit: *Petrus non propria auctoritate, vel manu Ananiam et Saphiram interfecit, sed magis divinam sententiam de eorum morte promulgavit.*

Confirmatur. Elias non occidit regem I-rael, quando illi dixit: *De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris,* 4 Reg. 1. Neque Jeremias propheta occidit pseudo-prophetam Ananiam, quamvis illi dixerit quod eodem anno esset moriturus, Jerem. 28, v. 16: Ergo similiter nec S. Petrus cooperatus est ad mortem Ananiam et Saphira.

Obj. 1^a: Infra, cap. 15, v. 11, Paulus apostolus cooperatus est ad cecitatem Elymæ magi, utrum illi dixit: *Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus.* Ergo et Petrus cooperatus est ad mortem Saphira, dum illi hic v. 9, dixit: *Ecce pedes eorum qui sepelientur virum tuum ad ostium, et efferent te.*

Resp. Neg. consequ. Disparitas est quod Paulus illa dixerit imprecando, non Petrus; ut colligitur primo ex eo quod SS. Patres ita verba Petri interpretentur. Secundo ex eo quod Paulus zelo correptus clamaverit contra Elymam. ficit enim Lucas: *Sentus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intensus in eum dixit: O plene omni dolo et omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.*

Petrus autem tantum mendacium illorum modestè increpat, nec legitur ideo repletus Spiritu sancto, quasi graviter iratus, aut quasi miraculum facturus. Tertio, actio Pauli non erat nociva mago, sed tendebat partim ad ejus conversionem. Unde etiam non punivit eum cecitate in perpetuum, sed tantum usque ad tempus; quia professe volebat, non nocere. At vero actio Petri fuisset maximè nociva, ut pote inferens mortem temporalem, et etiam quodammodo aeternam.

Habebant quidem apostoli gratiam miraculorum; sed non expediebat eâ uti ad homines occidendos, sicut ad suscitandos et sanandos. Etenim gratia et mansuetudini evangelicæ illud non conveniebat; et malum nomen apud omnes accepisset christiana Religio, si illud factum fuisset. Et sanè ne ipsi principes Judæorum hanc de Petro apostolo opinionem habuerunt, quod esset cooperatus ad mortem Ananiam et Saphira: nam infra, dum Petrus erat in concilio, nequidem hoc ipsi objiciunt.

Obj. 2^a: S. Chrysost., in præfatum Actorum locum, et S. Gregor., lib. 9, epist. 29, dicunt quod Petrus peccantes verbo occidebat, mortuos oratione suscitabat; atque mortuos suscitavit cooperando; ergo etiam illos peccantes occidit cooperando.

Resp. Neg. consequ., quia illa ab istis Patribus improprie dicuntur, et quasi exaggerativè, ad illum modum quo Scriptura dicit, Ecclesiast. 5, v. 35: *Ignem ardentem extinguit aena, et elemosyna resistit vocatib;*

Aqua extinguit ignem physicè; ergo et elemosyna resistit peccatis physicè: nam consequens est falsum. Plura similia vide apud theologos, qui sustinent quod circumcisio non contulerit gratiam ex opere operato. Deinde alii Patres aliter loquuntur: dicit enim S. Fulgentius, epist. 1, cap. 8: *Ananiam et Saphiram non solum vox apostolica, tanquam divini juris invasores increpuit, sed etiam severitas celestis justitiæ occidit.* Ubi occasionem ascribit Deo, et tantum increpationem apostolo Petro.

QUESTIO III.

Quandom Theodas excitaverit seditionem.

Gamaliel legis doctor, favens apostolis, dicit principibus sacerdotum, v. 36: *Ante hos dies exstitit Theodas, etc. Post hunc exstitit Judas Galileus in diebus professionis.* Dicit autem Josephus, lib. 20 Antiq., cap. 2, in fine Theodam exstitisse tempore Cuspiti Fadri procuratoris Judææ; qui Fadus fuit procurator Judææ post mortem Herodis Agrippæ, qui infra, cap. 42, occidit Jacobum fratrem Joannis gladio, quique ibidem, v. 25, et etiam teste Josepho, lib. 19 Antiq., cap. ult., quia divinos honores sibi exhiberi permisisset, à Deo perussus interiit. Adeoque juxta Josephum ille Theodas exstitit ad minus undecim annis post mortem Christi; Gamaliel autem ista verba dixit ipso anno mortis Christi, scilicet paulo post Pentecosten; adeoque undecim annis, antequam res accideret. Quomodo ergo potuit dicere: *Ante hos dies exstitit Theodas?* Item quomodo potuit dicere: *Post hunc exstitit Judas Galileus in diebus professionis, cum dies professionis fuerit vel tempore nativitatis Christi, vel tantum decem annis post?*

Ad hanc difficultatem solvendam aliqui dicunt Josephum errasse; sed hoc variis displicet, qui conatur ostendere Josephum non errasse in factis tam claris, et tempore vite suæ gestis.

Alii dicunt quod Gamaliel inverterit ordinem rei geste, ponendo Theodam ante Judam Galileum, qui debet postponi. Sed quomodo illi poterunt invenire quod Gamaliel de seditione tantum post undecim annos futurâ, tanquam esset diâ præterita, hic loquatur?

Denique sunt qui contendunt quod S. Lucas, qui hunc librum diâ post seditionem Theodæ conscripsit, ordinem rei geste inverterit, sicut illum sæpè invertit in suo Evangelio. Sed hoc dici nullo modo potest, quia inducit Gamaliel loquentem de illo anno quo mortuus est Christus; sive positivè dicit illa esse verba Gamalielis, qui isto anno illa dixit. Et quamvis in suo Evangelio sæpè invertat ordinem rei geste, nunquam tamen illum invertit in dictis aliorum: alias reverè mentiretur; nam diceret hoc aliquid dixisse quod reverè non dixisset.

Resp. et dico: Fuerunt duo Theodæ, quorum unus, de quo loquitur Gamaliel, seditionem excitavit, imperante Augusto: aliter verò, de quo loquitur Josephus, seditionem excitavit, imperante Claudio.

Prob. 1^a quia Origenes, lib. 1 contra Celsum, di-

cit illam Theodam, de quo loquitur Gamaliel, exstitisse imperante Augusto; et, ut verosimile est, paulò post mortem Herodis Magni, tempore absentie Archelæi, qui Romam ierat, ut ab imperatore Augusto obtineret confirmationem testamenti patris sui, quo ipsum instituebat heredem regni Judaici: quia verè, ut testatur Josephus, lib. 17 Antiq., cap. 12, discessum Archelæi secuti sunt magni in eâ gente tumultus.

Prob. 2^a quia, etsi Josephus subinde erret in historiis, que tempus vite ejus præcesserunt, tamen non ita errat in historiis que tempore vite ejus acciderunt.

QUESTIO IV.

Quandom Judas Galileus excitaverit seditionem.

Tirinus, secutus Baronium, putat hanc seditionem excitatam fuisse tempore nativitatis Christi, quia dicit hic Gamaliel: *Post hunc exstitit Judas Galileus in diebus professionis;* atque dies professionis fuerit tantum tempore nativitatis Christi, quando nempe exiit edictum à Cesare Augusto, ut describeretur universus orbis... Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph... in civitatem David, que vocatur Bethlehem... ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore pregnante.

Resp. et dico: Judas Galileus illam seditionem excitavit undecim ferè annis post nativitatem Christi; quando, Archelæo Herodis filio in exilium missa, Cyrinus ex mandato Augusti jussit pro secundo vice describi Judæam. Vide supra, in Concord. evang. cap. 4, quæst. 1, § 2.

Prob. 1^a quia ita apertè habet Josephus, lib. 18 Antiq., cap. 1.

Prob. 2^a quia prima descriptio facta est ad ostentationem, nec aliquid à civibus petebatur: secunda verò facta est ad auferendas facultates Archelæi, ad redigendam Judæam in provinciam Romanam, et ad exigendum tributum, seu ad dandum censum Cesari; ergo potius seditio facta est sub secunda descriptione, quam sub prima.

Obj. 1^a: Josephus dicit illum censum populi factum esse per Quirinum; atque ex Luca 2 constat quod census seu descriptio Quirinii facta fuerit tempore nativitatis Christi; ergo, etc.

Resp. conformiter ad ea que loco supra citato dicta sunt in Concord. evang., Quirinum his censum egisse. Et certè non poterat Judas Galileus in prima descriptione conquiri quod dare censum Cesari, esset profiteri servitum, etc. Nam in illâ prima descriptione non exigebatur tributum; et Judæa tunc adhuc manebat regnum liberum; contigit enim illa prima descriptio vivente adhuc Herodè Magno.

Obj. 2^a: Verosimilimum est quod Lucas, qui tantum unam descriptionem refert in suo Evangelio, de eadem loquatur in Actis apostolorum.

Resp. Neg. suppositum, nempe quod Lucas in suo Evangelio tantum referat unam descriptionem; nam satis clarè insinuat fuisse duas descriptiones à Quirinio seu Cyrino factas, dum dicit descriptionem, que contigit tempore nativitatis Christi, fuisse pri-

nam; siquidem ideò eam vocat *primam*, ut eamdem discernat à secundà descriptione, quæ facta est à Cyrino post exilium Archelai.

CAPUT VI.

Crescente in dies credentium numero, ad sedandum murmur Græcorum, ordinantur septem diaconi, inter quos eminentes Stephanus, à Judæis quoque convicerat, tanquam blasphemus et violator legis Moisaicæ, accusatur.

QUESTIO PRIMA.

Quare Græci murmuraverint adversus Hebræos.

Vers. 1: *In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum.* In Græco habetur: *Hellenistarum*; id est, non Græcorum gentiliū; nam tunc gentiles nondum erant ad fidem conversi; sed Judæorum, in Græciâ, vel extra Palestinam natorum.

Adversus Hebræos, id est, Judæos in Palestinâ natos; eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Verosimile est hic non intelligi solas viduas maritis orbatas, sed etiam illas quæ cum maritis, mutuo consensu vitam communem fuerant amplexæ, et vivebant in continentia: sicuti 2 Reg. 20, v. 3, uxores seu concubinae Davidis, quas, quia ab Absalom erant cognite, ipse David non volebat amplius cognoscere, vocantur viduæ, seu in *viduitate* viventes.

Resp. et dico: Ideò murmurabant Judæi Græci, quia Judæi Hebræi viduis ipsorum non liberaliter providebant quoad necessaria ad victum, sicut suis propriis viduis, nempe Hebræis. Cum enim tunc fideles maxime habitarent Jerosolymis, et in vicinis civitatibus, certò natum erat fieri ut distributores portionum melius providerent suis propriis viduis quam aliens.

Prob. 1^a quia, v. 2, apostoli rem illam, propter quam murmur surrexerat, vocant *ministrare mensis*; id est, curare ea quæ ad cibum et potum, vitæque sustentationem pertinent. Ergo ideò murmurabant Judæi Græci, quia Judæi Hebræi ipsorum viduis non satis liberaliter providebant.

Prob. 2^a argumento à contrario: Juxta Scripturam, honorare viduas est illis necessaria suppeditare; ergo despiciere viduas est necessaria illis non suppeditare.

Prob. ante. Apostolus, 1 ad Timoth., 5, v. 3, dicit: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* V. 16: *Si quis fidelis habet viduas, ministrat illis, et non gravetur Ecclesiae; ut his quæ verè viduæ sunt sufficiat.* Id est, viduis, quæ verè viduæ sunt, ministra necessaria, viduæ autem ditiores nihil accipiant ex bonis Ecclesie, ut sufficiant pro pauperioribus.

Similiter ibidem, v. 17, dicit: *Qui bene præstant presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Id est, duplicem accipiant portionem, ut patet ex immediate sequentibus, v. 18: *Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua.*

Prob. 3^a Ex remedio quod huic malo apostoli attulerunt: scilicet deposuerunt illos partiales dispensatores, et communi omnium consilio elegerunt septem viros *boni testimonii, plenos Spiritu sancto et sapientiâ*; qui justè et fideliter tam Græcis quam Hebræis necessaria quotidie distribuere; atqui hoc remedium fuisse inutile, si ob aliam causam murmur ortum fuisset; ergo, etc.

Prob. min. Alia causa, quam aliqui assignant, est hæc: quòd officia gloriosiora conferrentur viduis Hebræis, et tantum viliora viduis Græcis; sed institutio septem diaconorum non poterat hoc emendare; nam mansissent illis viduis sua officia, sicut ante. Imò istæ viduæ tunc temporis non videntur habuisse aliquod officium.

Putat quidem Erasmus quòd, cum apostoli circumducerent secum mulieres, quæ ipsis ministrarent, acceperint omnes Hebræas, et ideò Græci conquesti sint, quia stas viduas non dignabantur tantò honore. Sed auctor ille non reflectit quòd, quando illud murmur ortum est, apostoli nondum exivissent Jerosolymam. Deinde quid juvissent septem diaconi ad comitandum duodecim apostolos, singulos in diversas regiones ituros?

Alii dicunt quòd Græci conquesti sint, quia solæ viduæ Hebræorum quotidianas elemosynas distribuerebant, et viduæ Græcorum ad hoc opus non assumebantur. Non conquirebantur quidem viduæ Græcæ, quia Hebrææ distribuerebant, sed ipsæ etiam non poterant distribuere. Sed quid ad hoc iterum juvissent electio septem diaconorum? Quare depositæ fuissent illæ tam justæ dispensatrices, ut nemo de ipsis conquiretetur, et aliæ non fuissent admotæ isti officio? Certè debuissent apostoli tantum dicere, ut viduæ Græcorum etiam distribuerebant elemosynas, et sic murmur fuisset efficacius sedatum quam per institutionem diaconorum. Adde quòd illa opinio accuset primos fideles magnæ superbiæ et ambitionis.

QUESTIO II.

An illi primi septem diaconi unice ordinati fuerint ad subministrandum necessaria viduis.

Resp. negativè: sed insuper sacro diaconatus ordine insigniti fuerunt.

Prob. 1^a: Quia dispensatio elemosynarum et portionum nullum requirit speciale donum supernaturalis, sed tantum exactam cognitionem indigentis viduarum et aliorum pauperum; et deinde sincerum affectum erga justitiam distributivam; quæ duæ qualitates etiam inveniri possunt in infidelibus; adeoque ipsorum electio et institutio tantum requisivisset acceptationem, seu beneplacitum apostolorum. Atqui tamen apostoli plus petiverunt ab illis diaconis, quam duas illas qualitates; scilicet voluerunt illos esse viros *boni testimonii, plenos Spiritu sancto et sapientiâ*. Unde etiam S. Lucas de Stephano dicit: *Stephanus autem plenus gratiâ et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.* Certè non requirebatur tanta gratia et virtus ad dispensandum portiones, vel ad distri-

buidum elemosynas; ergo diaconi electi et ordinati sunt ad aliquid nobilius et sanctius ministerium.

Prob. 2^a: In ipsorum electione utuntur apostoli specialibus quibusdam cæremoniis, quæ non erant necessarie dispensatoribus portionum; et per consequens ostendunt quòd ipsis verè ordinent et consecrent: nam oratio quam fundunt ostendit quòd illi electi indigerent abundantia gratiæ, ad munus suum dignè obeundum. Impositio verò manuum est communicatio quam apostoli illis faciunt suæ potestatis, et extensio vel impressio characteris ipsorum, ad illos consecrandum ministerio altaris.

Prob. 3^a: Non omnes Ecclesie quas fundavit S. Paulus, vixerunt in communi: nam Corinthiani in ipsâ communione, suam quique cenam manducabant, ita ut unus ebrius esset, et alter esuriret. Et ipse Paulus Act. 20, v. 18, dicit Ephesius: *Ves scitis à primâ diè quâ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim... Argentum aut aurum, aut vestem nullius concupiivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Atqui tamen istæ Ecclesie habebant diaconos, ut certum est apud omnes. Unde et Paulus ad Philip., cap. 1, v. 1, dicit: *Omnius sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus.* Ergo falsum est quòd diaconi merè electi sint ad ministerium mensurarum communium.

Prob. 5^a, quia S. Ignatius, apostolorum contemporaneus, epist. 5, dicit: *Oportet et diaconos mysteriorum Christi ministros, per omnia placere; nec enim citiorum et potum ministri sunt (tantum scilicet, et per se), sed Ecclesie Dei administratores.* Agit autem de diaconis, de quibus hic quæstio est: nam subjungit: *Purum et inculpatum ministerium exhibent, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro.* Et S. Cyprianus, epist. 68, dicit: *In diaconorum ordinationibus observasse apostolos animadvertimus, de quo et ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, et dixerunt eis: Considerate viros, etc. Quod utique idcirco tam diligenter et cautè, convocata plebe totâ, gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.*

Obj. 1^a: S. Hieron., epist. 85, vocat diaconos mensuram et viduarum ministros; ergo septem diaconi fuerunt tantum electi ad ministerium mensurarum communium.

Resp. S. Hieron. ita eos vocare, ad retundendam quorundam ipsorum superbiâ; non verò ad ipsos disputandum suam dignitatem et characterem: nam in cap. 1 Michææ dicit quòd principes domûs Jacob, et iudices domûs Israel non sint alii quam episcopi, presbyteri et diaconi. Et, lib. 2 contra Jovinianum, confundentem et facientem pares laicos cum clericis, dicit quòd homo sit extirpans episcopatum, sacerdotium et diaconatum. Verba ejus sunt: *Nec quidquam episcopi, frustra presbyteri, sine causâ diaconi.*

Et certè ad clarissimè intelligendum quòd diaconi sint majoris characteris quam laici, tantum debet legi cap. 5, epist. 1 ad Timoth., ubi Apostolus vult eligi *diaconos pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ. Et hi autem probentur primis; et sic ministrent, nullum crimen habentes... Diaconi sint unius uxoris viri, etc.* Requiriturne immunitas à crimine, seu status gratiæ, ut quis possit dignè dispensare portiones? Requiriturne tanta pudicitia, tanta fides in conscientiâ purâ? Debetne isti primùm probari, fortè an possint facere portiones æquales? Suntne ad hoc capaciores qui tantum unam uxorem habuerunt, quam qui habuerunt duas? Denique quid habent dispensatores laici commune cum dignitate episcopali? Et tamen non multum plus requirit ibidem Apostolus in episcopo quam in diacono.

Obj. 2^a: Textus clarè habet quòd apostoli elegerint diaconos, ut constituerent illos *super hoc opus*; id est, super ministerium mensurarum; et nulla alia causa in textu assignatur; ergo unice electi sunt ad ministrandum mensuris.

Resp. Neg. conseq., quia, licet illa fuerit unica occasio instituendi diaconos, non fuit tamen unica ratio, et unicus finis; ut patet ex probationibus, et etiam ex eo, quòd mox à Spiritu sancto directi fuerint ad predicandum et ad baptizandum, ut Stephanus et Philippus.

Deinde Scriptura nec semper, nec ubique exprimit præcipuum causam alicujus facti, sed sæpè tantum minimum causam aut solam occasionem. Sic dùm dicit Dominus apostolis, Matth. 28: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, inde non sequitur quòd nullam aliam potestatem habuerint apostoli, quam docendi et baptizandi. Item, dùm Joan. 18, v. 37, Pilato dicit Christus: *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, inde non sequitur quòd incarnatio non fuerit decreta ad alium finem, scilicet ad redemptionem generis humani. Ergo etiam hic dicatur quòd septem diaconi sint electi ad subministrandum necessaria viduis, inde nequaquam concludi potest quòd sacro diaconatus ordine non fuerint insigniti.

Obj. 3^a: In concilio universali sexto, can. 16, dicunt Patres: *Nos cum dicto apostolico mente ad prædicandum, invenimus eos esse locatos non de viris, qui ministrabant mysteriis, sed de ministerio, quod in usu mensurarum adhibebatur, cum liber Actuum sic habet.* Et deinde relatis verbis et expositione S. Chrysost., concludit: *Post hæc ergo nos quoque prædicamus ut predicti septem diaconi non de iis accipiantur, qui ministeriis servant, ut est prius expressa doctrina; sed eos esse quibus fuit concessita ac tradita dispensatio eorum quæ tunc collecta fuerunt.* Ergo septem diaconi non fuerunt ordinati ad ministerium sacrum, sed tantum ad ministerium mensurarum.

Resp. Neg. conseq., ac dico concilium illud esse reprobatum, ut docent Baronius et Petavius. Unde, tomo 5 Conciliorum, apud Binium, habetur hic titu-

los : *Concilium Constantinopolitanum universale, et reprobatum, quo sub nomine quintae et sextae synodi acaemicae centum et tres canones editi fuerant anno Domini 691, sub pontificatu Sergii et imperio Justiniani junioris. Et in notis addit Binius : Sed de ministerio quod in usu mensurarum adhibebatur, erroneum est dicere s non sacris, sed profanis tantum mensis ministrasse. Vide Estium in 4, dist. 24, § 17.*

Objici adhuc solent S. Chrysost. et Beda. Sed illi tantum volunt quod praecise tunc, quando apostolis oblati fuerunt illi septem, non fuerint consecrati ministerio altaris, sed vel ante, vel post : nam Chrysost. aperte digolitate ecclesiasticam diaconorum agnoscit, hom. 11 in Epist. 1 ad Timoth. Et ven. Beda videtur in fine nobiscum sentire; uti liquet ex eis quae habet lib. Retract. Actuum apostolorum, ubi ita scribit : *Communis quidem dispensatio exiabat, ut ministri pro viduis viri eligerentur; verum ubi inventi sunt qui digni ad hoc ministerium esse viderentur, crescente gradatim, ut solet, providentia consilii salutaris, placuit eosdem ipsos altaris quoque sacri, ac dominici sanguinis (sicut et refectionis, mensaeque communis multitudinis credentium) ministros ordinari; quod probatum est verbo, quo dictum est : Et orantes imponerunt eis manus. Hoc enim proprium est eorum qui de communi fidelium numero ad sacro sancti altaris promoverent officium.*

CAPUT VII.

Sanctus Stephanus, ut se contra Iudeos accusatores suos defendat, docte et fuse concionatur in concilio, atque exordiens reficit historias Abrahae, Isaac, Jacob, Moysis et prophetarum, qui praenuntiaverunt Christum, quibus uti resisterunt praeiudici Iudei, multosque ex eis occiderunt, ita nunc posteros eorum persequi Christum, ejusque discipulos, liberè proclamant. Quocirca illi stridentes et furentes rapiunt eum, ac lapidibus obruant.

QUESTIO PRIMA.

De concione et narratione S. Stephani.

Vers. 2 : *Deus gloriae apparuit patri nostro Abraham. Incipit ab Abraham, quia is Iudeorum, hoc est, fidelium et synagogae, fuit primus pater ac patriarcha, primusque promissionem explicitam accepit de Christo ex se nascituro.*

Accusantur Iudaei Stephanum quod locutus esset contra eorum Deum, legem, templum, Moysen et prophetas. Refellit id Stephanus, honorificè loquendo de Deo Abraham, ac vocando eum Deum gloriae; de quo ipso Abraham, vocando eum patrem nostrum; ac de lege, templo, Moysè et prophetis. Ostenditque Iudaeos potius his obloqui et resistere, dum Christum à Deo, Moysè et prophetis promissum, ac in legè et victimis temporis adiuturum, ejusque discipulis persequuntur. Quasi dicat : Accusatis me tanquam blasphemum, eò quod Christum praeponeam Moysi et prophetis, asseramque eum esse Dei filium et redemptorem mundi. Atverò id ipsum crediderunt Abraham, Moyses et prophetae, qui hoc praedixerunt. Immitamini

ergo patrem vestrum Abraham, legislatorem Moysen, vestrosque prophetas, ac in Christum jam natum credite, sicuti ipsi in Christum nasciturum crediderunt, eumque vobis praedixerunt et promiserunt; alioquin non ego, sed vos à fide Abrahae, Moysi et prophetarum degeneres, iis adversos et hostes vos ostendetis. Ita S. Aug., serm. 95 de Diversis, inquit à Lapide commentans in hoc caput.

Cum autem in hac S. Stephani narratione varie occurrant difficultates, quae majori ex parte alibi solutae sint, ab his breviter hic nos expediemus.

Dicit S. Stephanus quod Deus apparuerit Abraham, cum esset in Mesopotamiâ. Hic agit de apparitione Dei, et vocatione Abrahae, de qua Gen. 12, v. 1. Et quavis ibidem addatur vocationem illam ideò esse factam, ut Abraham exiret de terrâ suâ, quae non erat Mesopotamiâ, sed Ur Chaldaeorum; tamen S. Stephanus non contradicit Moysi, dum hic narrat eam factam esse in Mesopotamiâ; quia vocatio illa facta est in Mesopotamiâ, non ut Abraham corpore duntaxat egrediretur ex Chaldaea (jam enim corpore egressus erat), sed ut inde etiam animo egrediretur, sive ut spem omnem ac desiderium eò redendum, ex Dei praecipio deponeret; tenebatur enim spè ac desiderio eò reverteendi cessante persecutione.

Vers. 4. *Abraham exiit de terrâ Chaldaeorum, et habitavit in Charan, sive Haran usque ad annum etatis suae septuagesimum quintum, quo Abraham ex Haran profectus est in terram Chanaan. Et licet hic S. Stephanus dicat quod Abraham ex Haran in Chanaan translatus sit post mortem patris sui Thare, nulla tamen rursus inter Moysen et Stephanum est contradictio.*

Vers. 5 : *Et non dedit ei hereditatem in eâ, nec passum pedis. Quavis Abraham, Gen. 21, v. 30, possederit puteum in agrò Betsabee, et in eodem, ut ibidem v. 33 additur, plantaverit nemus; et Gen. 25, v. 9, in terrâ Chanaan habuerit speluncam duplicem pro sepulturae Sarae; tamen etiam nulla est contradictio. Nam ad primum respondeo quod illam agrum et puteum non dederit ei Deus, sed pretio suo sibi comparaverit Abraham. Et hoc modo hanc apparentem antilogiam solvit S. P. Aug., quæst. 56 in Gen., ubi ad praecipuum versum 5, cap. 7 Act. apost., reflectens, ita scribit : *Sed ea est intelligenda hereditas quam Deus munere suo fuerat daturus, non emptâ pretio. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emptio. pactum pertinere, in quo fuerat agere septem dabo. quando Abimelech et Abraham sibi eam jaraverunt. Similiter etiam responderi potest ad secundum : Significat et speluncam duplicem pretio sibi comparavit Abraham, ut liquet ex cit. cap. 25 Gen.; quavis etiam ad illud dici queat quod speluncam duplicem non possederit quasi hereditatem, scilicet ut vivus eam tanquam praedium coleret vel incoleret, sed ut sepulcrum, in qua cum Sara mortuus quiesceret. Sepulcrum enim non est hereditas nec domus, vel ager vivorum, sed potius crypta subterranea mortuorum.**

Item v. 14, ubi S. Stephanus ait : *Mittens autem Joseph accessit Jacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque, non contrarius Moysi, Gen. 46, ubi tantum numerantur animae Septuaginta ex familia Jacob Ægyptum ingressa : nam illis septuaginta ibidem expressis ex versione septuaginta addit S. Stephanus quinque nepotes Joseph. Cætera, quae in narratione S. Stephani sequuntur, aut alibi explanata, aut nequidem apparentem habent repugnantiam cum veteri Testamento.*

QUESTIO II.

Quo anno lapidatus sit S. Stephanus.

Plurimi sunt qui existimant ac contendunt quod S. Stephanus fuerit lapidatus eodem anno quo Christus mortuus est, idque die 26 decembris. Verum licet hæc opinio sit commoior, non videtur tamen commode sustineri posse; unde

Resp. et dico : Non videtur lapidatio S. Stephani accessisse eodem anno quo mortuus est Christus, sed ad minus integro anno post.

Probat, quia omnia illa quae hic in Actibus apostolorum narrantur, scilicet à versu 42 capitis 2, usque ad versum 9 capitis 6, non videtur contigisse spatio mediæ anni, qui fluxit à Pentecoste usque ad 26 decembris; ergo tantum lapidatus est anno post ascensionem Christi; atque, ut commoior putatur, 26 decembris.

Prob. ant. Illi septem diaconi verosimilibus non erant ex numero septuaginta duorum discipulorum, sed fuerant post adventum Spiritus sancti ad fidem conversi; ergo non fuerunt tam citò ordinati diaconi : non dum ordinati sunt, jam erant viri boni testimonii, pleni Spiritu sancto : adeoque non erant tunc amplius neophyti, id est, noviter conversi, sed erant probati in fide; quod esse non poterant, nisi aliquo notabili tempore in fide perseverassent.

Quid autem septem diaconi non essent ex numero septuaginta duorum discipulorum, inde evincitur quod septuaginta duo discipuli essent à Christo destinati ad predicandum Evangelium, Luca 10, v. 1. Atqui apostoli non fuissent ausi illos removere ab officio quod à Christo accepterant, et eos deprinere ad minus officium, scilicet ad ministrandum mensis. Unde et apostoli supra, cap. 6, v. 2, dicunt : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Eadem autem ratio militat pro septuaginta duobus discipulis; ergo, etc.*

Confirmatur. Inter septem diaconos fuit Nicolaus advena, sive proselytus Antiochenus : Christus autem inter suos discipulos non habuit extraneos, sed tantum Iudaeos, ergo signum est quod illi septem diaconi non sint electi ex numero septuaginta duorum discipulorum.

Denique S. P. Aug., in Psal. 108, dicit : *Ipsæ Stephanus inter illos erat, qui compuncti sunt corde, scilicet per predicationem Petri in die Pentecostes. Et S. Hieronymus, in cap. 27 Math., dicit ipsum petnum fuisse à Petro conversum. Idem habet S. Ambrosius, Hexam.*

lib. 5, cap. 6. Et S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi 17, ait septem diaconos fuisse primogenitos suae Ecclesiae. S. Epiphanius habet quidem contrarium; sed videtur aliorum auctoritas prevalere.

Insuper quod S. Stephanus non fuerit lapidatus mox post suam ordinationem, sed adhuc aliquo tempore supervixerit, eruitur ex epist. 5 S. Ignatii martyris, qui, ut cap. 6, quæst. 2, vidimus, dicit quod S. Stephanus ministraverit diaconus S. Jacobi; et vix ulla ratio est desuper dubitandi, cum S. Ignatius fuerit apostolorum contemporaneus.

Ex his omnibus admodum probabile evadit quod S. Stephanus non fuerit conversus et lapidatus spatio mediæ anni, sed spatio circiter unius anni et mediæ; adeoque non eodem anno quo mortuus est Christus, sed tantum anno sequenti lapidatus fuisse videtur.

CAPUT VIII.

Stephanus honorificè sepelitur; persecutio magna dispergit fideles, qui erant Jerosolymis, præter apostolos. Hinc Philippus convertit et baptizat Samaritanos, quos deinde Petrus et Joannes confirmant. Simon Magus ab eodem Philippo baptizatus, ob simoniam à Petro severè corripitur. Idem Philippus convertit et baptizat Eunuchum Æthiopem.

QUESTIO PRIMA.

Quis fuerit ille Philippus, qui praedicavit fidem Samaritanis.

Vers. 4 : *Facta est autem in illa die persecutio magna, statim à lapidatione S. Stephani, in Ecclesiâ quae erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt. Hæc dispersio Providentiâ divinâ facta est, ait S. Hieron. in cap. 10 Math., ut tribulationis occasio fieret fidei seminarium; nam, ut dicit S. P. Aug., conc. 5 in Psal. 50 : *Cum inde, tanquam ex uno loco, fugerentur, quasi ligna ardentia, igne divino totam system mundi accensam fervore spiritus et lumine virtutis implerent. Unde hic mox sequitur v. 4 : *Igitur qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei.***

Vers. 5 : *Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, praedicabat illis Christum. Queritur an hic fuerit Philippus apostolus, an Philippus diaconus.*

Resp. et dico : Fuit Philippus diaconus. Probi 1^o quia, v. 1, dicitur : *Omnes dispersi sunt, præter apostolos. Ergo Philippus, qui est hic unus ex dispersis, non erat apostolus. Ita hoc probat Isidorus Pelusiota, lib. 4, epist. 448 et 449.*

Probi 2^o quia dicitur hic, v. 14 : *Cum autem audissent apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, etc.* Atqui si fuisset Philippus apostolus, non fuisset opus mittere Petrum et Joannem, ad conferendum Samaritanis sacramentum Confirmationis : nam Philippus apostolus potuisset illud ipsis conferre; ergo, etc.

Hæc sententiam eodem argumento probant Epiphanius, heresi 21, et Chrysost., hom. 18 in Acta. Et idem Chrysost., hom. 19, probat etiam hoc argumentis : *In fine hujus capitis dicitur : Philippus autem*

inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Casaream. Postea autem de Philippo amplius nulla fit mentio, nisi cap. 21; adeoque significatur quod Casareæ aliquo tempore manserit. Atqui ex jam cit. cap. 21 constat quod Philippus diaconus haberet habitationem suam Casareæ; nam v. 8 dicitur: *Alia autem die profecti, venimus Casaream. Et intrantes domum Philippi evangeliste, qui erat unus de septem, mansimus apud eum.* Ergo signum est quod ille Philippus, qui baptizavit Eunuchum, et deinde mansit Casareæ, fuerit diaconus, unus de septem.

Verum quidem est quod S. P. Aug., tract. 6 in Joan., aliquo modo dubiè de hoc loquatur, dicens: *Sive unus ex apostolis, sive ex diaconis ipse fuerit.* Sed, serm. 99 editionis Benedictinorum, cap. 10, apertis terminis docet quod fuerit Philippus diaconus; ait enim ibidem: *Quidam in Somariâ... baptizati à Philippo evangelistâ, uno de septem diaconis primitus electis non acceperunt Spiritum sanctum.* Et serm. 266: *Philippus evangelista, qui predicavit in Somariâ, unus erat de septem diaconibus.*

Dices: Clemens et Polykrates apud Eusebium, item Chrysost., hom. 55 in Gen., vocant ipsum apostolum. Idem habet Tertul., lib. de Baptismo, cap. 18.

Resp. vocari apostolum, non strictâ, sed latâ significatione, quâ et apostolus, sumitur pro viro apostolico, qui Evangelium publicè populis annuntiat. Sic S. Franciscus Xaverius vocatur apostolus Indiarum, S. Patricius apostolus liberorum, etc.

Petes an Philippus non contravenit præcepto Christi, Matth. 10: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.*

Resp. negativè, quia, ut dictum est in Concord. evang., cap. 17, quæst. 2, illa præcepta non fuerunt data pro semper, sed pro istâ solâ missione. Unde, hoc lib., cap. 1, dicit Dominus apostolis: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Somariâ, et usque ad ultimum terræ.*

QUESTIO II

An Simon Magus verè, an verò tantum fidè fidem suscepit.

De Simone Mago hic, v. 9, narrat S. Lucas quod seduceret gentem Samaritæ, dicens se esse aliquem magnum; cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: *Hic est virtus Dei, que vocatur magna.* Atverò cum multi Samaritani credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, et ab ipso baptizati essent, tunc, ut subiungit S. Lucas, v. 13, *Simon et ipse credidit; et cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo.* Cæcæ hæc ultima verba inquiri solet, an Simon Magus verè ad fidem Christi conversus fuerit.

Resp. et dico: Simon Magus verè quidem suscepit baptismum, fidem autem animo fecto, ut gratie partiarum miraculorum particeps fieret.

Prob. 1^o quia ex toto contextu hic manifestum videtur quod Simon Magus unquam crediderit, ne à suis discipulis, pro majori parte jam Philippo credentibus, desereretur; et ut potestatem loquendi variis linguis,

et faciendi miracula acciperet, sicut videbat eam accepisse Philippum, et fideles in Baptismo; ergo non nisi fecto et simulato animo fidem suscepisse videtur. Aut saltem, si aliquo modo eam suscepit quod assensum intellectus, non tamen suscepit quoad affectum voluntatis; et sic fides ejus non fuit conjuncta cum cæteris bonis operibus, quæ ad dignè seu fructuosè suscipiendum sacramentum Baptismatis requiruntur. Hinc S. P. Aug., in Psal. 150, ita scribit: *Volebat Simon ambulare in mirabilibus super se; et ideò eum plus delectabat potentia apostolorum quam justitia Christianorum.*

Prob. 2^o quia Simonem Magum non verè, aut saltem non fructuosè suscepisse fidem, communis est mens SS. Patrum. S. Cyrillus Alexandrinus, præfat. Catecheson, ait: *Accesserat aliquando Simon Magus ad hoc lavacrum, baptizatus est, sed non illuminatus; et corpus quidem lavit aquâ; cor autem non illustravit spiritu. Descendit quidem corpus et ascendit, anima verò non est concepta Christo, neque cum illo resurrexit.* S. Hieron., in cap. 16 Ezech.: *Simon ille Magus, qui pecuniâ volebat redimere gratiam Dei, baptizatus quidem est in aquâ, sed nequaquam baptizatus est in salutem.* S. Aug., quæst. 84 super Levit.: *Nihil profuit Simoni Mago visibilis baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit.* Rationem ob quam potuit habere verum baptismum, et fidem tantum fectam aut infructuosam, dat S. doctor, lib. 5 de Baptismo contra Donatistas, cap. 16, dicens: *Cùm ergo sit aliud sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit... aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitatis de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fectâ.* Et Eusebius, lib. 2 Histor., cap. 1: *Simon Magus se callidè in Christi religionem insinuat, et usque eò fidem in Christum veteratorè simulavit, quoad baptismatis lavacro intinctus esset. Quod etiam hæc nostrâ ætate non sine admiratione ob illis fieri licet animadvertere, qui sceleratissimam illius sectam adhuc sequuntur.* Ita Eusebius.

Obj. 1^o: Scriptura sacra eodem modo loquitur de fide Simonis Magi, quo loquitur de baptismo: Nam æquè dicit: *Credidit, ac: Baptizatus est.* Atqui verè suscepit baptismum, ergo verè suscepit fidem.

Resp. Neg. consequ., quia, licet eodem modo loquatur de fide et baptismo, tamen circumstantiæ satis indicant quod non verè suscepit fidem. Etenim cum videret mirabilia sua magica esse levia et ficta, comparatione miraculorum Philippi, et propterea timeret ne à Samaritanis, apud quos hucusque in summo honore fuerat, desereretur, fidem quidem professus est ore, sed non corde; et ideò fides ejus aut tantum fecta, aut saltem infructuosa fuit. Atverò id non obest validitati baptismi, quia ad hunc validè suscipiendum sufficit sola intentio suscipientis, ex quocumque demum motivo hæc procedat.

Obj. 2^o: S. Petrus, v. 22, hortatus est Simonem Magum, ut ageret penitentiam de peccato, quo voluit eum donum Spiritus sancti; ergo verè in Christum credidit. Si enim non verè credidisset, primo exhor-

tandus fuisset ad credendum.

Resp.: Neg. consequ., quia S. Petrus, qui cor non videbat, processit in suâ correptione secundum exteriora, quæ videbat et audiebat. Et quia Scriptura non solet narrare secreta cordium, nullo signo exteriori prodita, propterea de internis aliquando loquitur, prout exterius hominibus apparent, inquit Estius. Sic ergo Simon dicitur hic credidisse, quia exterius profitebatur se credere; esto id fingeret, et reverà interius in corde non crederet, aut saltem non crederet eo modo quo credere oportebat.

Obj. 3^o: Simon Magus habuit veram spem, ut liquet ex versu 24, ubi ex verâ spe venie impetrandæ dicit Petro: *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum que dixistis;* ergo etiam habuit veram fidem.

Resp.: Neg. ant., nam ista verba non dixit ex spe venie impetrandæ, sed tantum ex timore pœnæ, seu mortis, et sic finxit se ponitè, ut penam evaderet: timebat enim ne morte muldaretur, uti Ananias muldatus erat ab eodem Petro, quem in signis terribilem et thumaturgum videbat ac timebat. Nam post discessum apostolorum multos Samaritanos seduxit, et à fide Christi averit; uti indicat S. Irenæus, lib. 1, cap. 10.

Referitur etiam, lib. 6 Constit. apost., cap. 7, S. Petrum rursus cum Simone Casareæ congressum, eum disputando convicisse, ac ad fugam in Italiam coegisse. Inde ergo proficiscens Petrum prævenit, et Neronem circumvenit, cui ob suas præstigias in admiratione fuit, adeò ut illi in insulâ Tiberinâ, ubi nunc est templum S. Bartholomæi, statua posita fuerit hoc titulo: *Simoni Deo sancto,* teste Eusebio, lib. 2 Hist., cap. 15 (1). Sed tandem certans cum S. Petro, et volans per aera, ejus precibus dejectus et ad saxum afflictus, crura confregit, teste Epiphano, hæresi 22. Quâ de causâ Nero, agrè ferens snas in Simone curiosas delicias sibi creptas, S. Petrum cum S. Paulo morte damnavit; ut habent ejus Acta. Ita à Lapide.

(1) Les Sabins adoraient une divinité qu'ils appelaient presque indifféremment *Semo, Sancus, Sanctus,* ou *Fidus,* comme le marque Ovide:

Quæredam nomen Sancto, Fidio referrem

An tibi, Semo Pater.

Et les anciens appelaient en général *Semones* (quasi *semi-homines*), les divinités d'un rang inférieur aux grands dieux; on donnait le nom de *Semo* à Mercure, à Hercule, à Vertumtus et à Priape; et il semble que *Semo*, honoré sur le mont Quirinal, était Hercule. Ovide, 1, 6, Fast.

Hunc igitur (Simonem) veteres donarunt ad Sabini, Inque Quirinali constituere iugo.

Mais sans entrer dans ces détails, il nous suffit de remarquer que l'on adorait à Rome *Semo Sancus*; qu'on y voyait une statue et une inscription en son honneur, dans l'endroit même où saint Irénée a cru voir celle de Simon-le-Magicien; et qu'elle était conçue presque en mêmes termes que celle qu'il rapporte; d'où l'on conclut qu'il a pu aisément se tromper, surtout étant étranger, peu instruit de la langue latine, et fort occupé de Simon-le-Magicien, dont les prestiges avaient longieups trompé les Romains.

(Bible de Venise.)

S. S. XXIII.

QUESTIO III.

Qualis, et cujus fuerit eunuchus, quem baptizavit Philippus.

Vers. 27: *Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens, (Græcè ὄψορος, quo vox jam etiam apud Latinos est in usu; pro domino alienigenæ pagi, vici, vel tractus) Candacis reginæ Æthiopiæ, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem.*

Resp. et dico 1^o: Videtur iste eunuchus Æthiops fuisse vel proselytus, vel saltem veri Dei cultor.

Prob. 1^o, quia, ut hic dicitur, ex suâ patriâ venerat adorare in Jerusalem, scilicet Deum verum; ergo erat veri Dei cultor.

Prob. 2^o, quia, v. 28, de eodem narrat S. Lucas: *Reverebatur sedens super curram suam, legensque Isaiam prophetam;* et hoc non curioso, sed studiosè, ut patet ex v. 34, ubi dicit Philippo: *Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? De se, an de alio aliquo?* Ergo habebat veri Dei notitiam.

Dices: Saltem non fuit gentilis veri Dei cultor; quia aliàs Philippus non fuisset ausus ipsum baptizare: nam ostium fidei nondum erat gentibus apertum. Unde cap. 14, v. 2, dùm Petrus baptizaverat centurionem, apostoli et fratres disceptabant adversus illum... dicentes: *Quare introisti ad viros præputium habentes?*

Resp.: Neg. assumpt. Quamvis enim ostium fidei nondum esset gentibus apertum; tamen Philippus hunc eunuchum ausus est baptizare, quia acceperat mandatum à Spiritu sancto, ut se jungeret ad curram ejus, eumque in fide Christi instruere.

Certum etiam est quod Judei non repellerent gentiles, quando veniebant adoratum Deum verum: nam idè ædificaverunt in suo templo atrium gentium; et Joan. 12, v. 20, dicitur: *Erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.* Denique nec verum est quod apostoli et discipuli, cap. 11, disceptaverint contra Petrum, sed aliqui ex Judæis, noviter ad fidem conversi; nam dicitur ibidem, v. 2: *Qui erant ex circumcissione.* Neque etiam videntur disceptasse, quia simpliciter Petrum fidem centurioni, aliisque incircumcisus prædicaverat; sed quia cum ipsis manducaverat cibum certò immundum, utpote à gentibus preparatum.

Dico 2^o: Quamvis plurimi interpretes censent illum eunuchum fuisse Æthiopen Africanum; tamen admodum vero simile est quod fuerit Æthiops Asianus, seu ex illâ Æthiopiâ ubi habitant Madianitæ, ex quâ fuit uxor Moysis, que etiam in Scripturis vocatur Madianitis et Æthiopiâ.

Probat, quia Æthiopia Africa jacet sub æquatore, et Jerusalem sub gradu latitudinis 51; adeoque etiamsi potuisset venire rectâ linæ Jerosolymam, debuisset conficere iter 620 leucarum, et totidem iterum ad redeundum. Hoc autem non videtur validè credibile; nisi quis velit potènti isti viro tantam erga Deum pietatem ascribere, quantum non facilè reperimus inter optimos Christianos. Adde quod non faciliè concipiatur, undenam accepisset notitiam Dei in tam

(Quarante-cinq.)

longè dissità terrà, in quam nullus unquam Judæorum legitur penetrasse.

Dicunt quoniam nonnulli quòd istam notitiam acceperint Æthiopes à suâ reginâ, scilicet à reginâ Saba, quæ venit ad Salomonem, à quo verum Dei cultum edocta fuit. Sed præterquam quòd hæc fabulam redeolant, prout alibi observavimus, constat quòd illa regina Saba non fuerit Æthiops, sed Arabis.

Deinde si illa regina fuisset à Salomone edocta purum veri Dei cultum, etiam fuisset edocta ipsi in suo regno ædificare templum, et in eo sacrificia offerre, nec esse necessarium sibi aut suis subditis longissimum istud iter Hierosolymam usque instituere: nam non erat prohibitum gentibus, sed solis Judæis, Deo vero offerre sacrificia extra templum Hierosolymitanum.

Dices: iste eunuchus erat ex illa Æthiopiâ, in quâ regnabat regina Candace; atqui illa regnabat in Æthiopiâ Africae; ergo, etc.

Prob. min... quia Plinius, lib. 6 naturalis Historiæ, cap. 29, in fine, dicit exploratores, à Nerone in Ægyptum et Æthiopiâ missos, retulisse quòd in istâ Æthiopiâ, in quâ est Meroe urbs, et ejusdem nominis insula, regnâsse femina Candacem: *Quod nomen, ut ibidem Plinius addit, multis jam annis ad reginas transit.* Mem testatur Strabo, lib. 17, ubi ait: *Candace per nostra tempora Æthiopiis imperavit, viri- ritis sene mulier; sed altero oculo capta.*

Resp.: Neg. consequ., ac dico reginam Æthiopiâ Arabiâ potuisse etiam vocari Candacem: hoc enim non est impossibile, nec extraordinarium. Sic fuerunt septem Caroli imperatores, et novem Caroli reges Galliæ. Idem est de Henricis imperatoribus, et Henricis regibus Galliæ, etc.

CAPUT IX.

Narratur admiranda S. Pauli conversio, quem diù postea Barnabas introducit ad apostolos. A S. Petro Æneas paralyticus curatur, et Dorcas à morte ad vitam revocatur.

QUESTIO PRIMA.

Quo anno S. Paulus sit conversus.

Illi qui prætendant Christum esse mortuum anno 55 æræ vulgaris, sustinent communiter S. Stephanum esse lapidatum eodem anno die 26 decembris, et Paulum esse conversum 29 diebus post. Verum cum omnia ista quæ in Actibus apostolorum usque ad conversionem S. Pauli enarrantur, non videntur potuisse contingere spatio decem mensium; hinc istam opinionem non putamus admittendam. Itaque

Resp. et dico: S. Paulus videtur conversus fuisse anno post passionem Christi quarto; adeoque conformiter ad nostram sententiam, juxta quam Christus mortuus est anno 29 æræ vulgaris, Paulus conversus est anno ejusdem æræ 33.

Prob. 1.^o: Quia certò conversus est post mortem S. Stephani: atqui mors S. Stephani non videtur accidisse eodem anno quo mortuus est Christus, sed

ad minus integro anno post, uti monstratum fuit supra, cap. 7, quest. 2; ergo, etc.

Prob. consequ., scilicet quòd S. Paulus conversus sit anno æræ vulgaris 55, in initio. Quia post mortem S. Stephani facili fluxerunt duo anni usque ad conversionem S. Pauli.

Prob. assumpt. Post mortem S. Stephani fides propagata fuit per totam Palestinam, non obstante persecutione magnâ à Judæis excitatâ. Nec sola Judæa, sed etiam Samaria recepit verbum Dei. Deinde etiam usque in Syriam propagatum fuit Evangelium, scilicet Damasci; et hoc ita quidem, ut proficiscens Hierosolymitanus scirent aliquos Judæos Damascenos esse conversos, et oblongam facultatem ab Aræta rege Arabiæ illos comprehendendi, et Damasceni jam inde scirent illos facultatem istam modò obtinuisse. Hæc autem omnia non videntur contingisse minus anni spatio; ergo à morte S. Stephani usque ad conversionem S. Pauli facili effluxerunt duo anni.

Prob. 2.^o ex S. Chrysost., qui, hom. 44 in Act., dicit S. Paulum spatio 59 annorum conversisse Romanos et alias gentes: Atqui inveniunt nostrum computum, illi 50 anni præcisè inveniuntur; ergo, etc.

Prob. min.: Paulus, ut infra, quest. 5, ostenditur, anno tertio post suam conversionem, adeoque anno æræ vulgaris 56, reversus est ex Arabiâ Damascum, ibique incepit vehementer predicare Christum; et martyrio coronatus est anno æræ vulgaris 66; ut probavimus in Concord. Evang., cap. 23, quest. 6. Atqui ab anno 56 usque ad annum 66 sunt præcisè 50 anni; ergo.

Dices: S. Chrysost., tomo 5, serm. 144, dicit quòd Paulus mox post homicidium S. Stephani fuerit conversus. Et Asterius Amasæ episcopus, orat. 8, dicit quòd haberet adhuc manus tinctas sanguine S. Stephani.

Resp. illud, mox, non excludere breve tempus unius, aut alterius anni, sed longum tempus; vel potius nullum tempus designare, sed tantum conceptum concionatoris, qui volens ostendere homicidium illud fuisse causam quòd S. Stephanus oraverit, et illam orationem fuisse causam conversionis S. Pauli, omnia ista simul sibi representabat; et addit mox, ut ostendat efficaciam orationis.

Asterius verò loquitur aliquo modo exaggerativè; vel tantum vult dicere quòd Paulus adhuc esset reus homicidii S. Stephani: nam certè non habebat propriè manus tinctas sanguine, imò nequidem ipso Stephanum attigerat.

Et reverà quòd non statim post lapidationem S. Stephani Paulus conversus sit, sed adhuc diù sua notabile tempus Ecclesiam persecutus sit, omninò manifestum est ex his quæ de ipso hic narrat S. Lucas. Etenim, cap. 8, v. 5, dicit: *Santus autem deestabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, trahabat in custodiam.* Deinde narrat dispersionem fidelium, conversionem Samaritanorum, et tunc revertens ad Saulum, cap. 9, dicit: *Saulus adhuc spirans minarum, etc.* Ubi particula, *adhuc*, insinuat

aliquod notabile tempus, quasi diceret: Tandem duravit persecutio, ut furor pontificum et aliorum sedaretur; at Saulus nondum tot caedibus et incarcerationibus fidelium satiat, adhuc erat spirans minarum et caedis; quare cum non posset amplius invenire Hierosolymis discipulos, et audivisset quòd adhuc darentur Damasci, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, etc. Atqui hæc omnia certò non videntur potuisse contingere spatio unius anni, multò minus spatio unius mensis; ergo non mox, sed satis diù post lapidationem S. Stephani conversus est S. Paulus.

QUESTIO II.

An Paulus propè Damascum Christum viderit oculis corporalibus.

Resp. affirmativè. Ita Estius, Tirinus, Lintreusis, ceterique interpretes communiter.

Prob. 1.^o, quia, v. 17, dicit illi Ananias: *Saulus frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in viâ quâ veniebas.* Et v. 27: *Barnabas... illum duxit ad apostolos; et narravit illis quomodo in viâ vidisset Dominum, et quia locutus est ei.* Item infra, cap. 22, v. 14, Paulus narrat sibi dixisse Ananiam: *Deus patrum nostrorum præcedente te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres iustum, et audires vocem ex ore ejus.* Atqui non audivit vocem Christi imaginariè, sed auribus corporalibus; ergo similiter ipsum vidit, non imaginariè, sed oculis corporalibus.

Denique et ipse Paulus probat se esse apostolum Christi ex eo quòd ipsum viderit, I Cor. 9, v. 1, dicens: *Non sum apostolus? Nomen Christiani Jesum Dominum nostrum vidi?* Item ibidem, cap. 15, v. 8, numerat se inter illos qui oculis suis corporalibus viderunt Christum post resurrectionem ejus, dicens: *Novissimè autem omnium, tanquam abortivo visus est et mihi.* Que verba, collata cum antecedentibus, falsa forent, vel saltem nullam vim haberent si Christum non æquè corporaliter vidisset, ac alii apostoli: multi enim sanctorum, qui non erant apostoli, viderunt Christum visione exstaticâ seu imaginariâ; ac proinde Paulus ex eo nihil habuisset, quo potuisset se æquiparare apostolis, quibus se æquiparare volebat ac debebat, ad sustinendam suam auctoritatem contra aliquos, qui carpebant ejus doctrinam.

Dices: Omnia illa possunt esse vera, quamvis Paulus Christum corporaliter non viderit tempore suæ conversionis, dummodò ipsum ita viderit, sicut infra, cap. 22, v. 17, Christum vidit orans in templo Hierosolymis, vel potius diùm, 2 ad Cor. 12, v. 2, raptus est usque ad tertium celum.

Resp.: Neg. assumpt. Non enim potest dici primum, quia ipsemet fatetur se tunc fuisse in stupore mentis, adeoque in visione exstaticâ. Nec etiam potest dici secundum, quia dicit se nescire utrum in isto raptu fuerit in corpore, an extra corpus; adeoque ex neutrà visione poterat probare se vidisse Christum, sicut illum viderant alii apostoli.

Prob. 2.^o ex S. Thomâ, 3 p., q. 57, art. 9, ad 3, dicens: *Christus semel ascendens in calum adeptus est,*

*sibi et nobis in perpetuum jus et dignitatem mansionis celestis. Cui tantum dignitatem non derogat, si ex aliquâ dispensatione Christus quandoque ad terram corporaliter descendat: vel ut ostendat se omnibus, sicut in iudicio, vel ut ostendat se alii specialiter, sicut Paulo, ut habetur Act. 9. Et ne quis credat hæc factum fuisse, non Christo ibi corporaliter præsentè, sed aliquoties apparente, contrarium apparet per hoc, quòd ipse Apostolus dicit, I Cor. 15, ad confirmandum resurrectionis fidem: *Novissimè omnium, tanquam abortivo visus est et mihi.* Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non præbaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo. Ita S. Thomas ejusdem sententiæ sunt apud Tirinum S. Ambros., lib. de Benedictionibus patriarcharum, cap. ult.; Tertul., lib. contra Praxeam, cap. 15; Primasius et Glossa illius loci.*

Dices: Christus à tempore ascensionis suæ, celum amplius non reliquit, nec reliquit, nisi in die iudicii, juxta illud quòd dicit S. Petrus, hoc lib., cap. 5, v. 21: *Quem oportet quidem cum suicipere usque in tempora restitutionis omnium.* Ergo Christus in proprio corpore non apparuit Paulo.

Resp.: Neg. consequ., quia corpus Christi fuit tunc in duobus locis simul, scilicet in celo et in aere, qui erat vicinus S. Paulo.

Petes an comites Pauli audiverint vocem Christi, cum hic, v. 7, dicitur: *Viri autem illi qui comitantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, nunciam autem videntes.*

Resp. negativè, sed solam vocem Pauli audiverunt; nam infra, cap. 22, v. 9, dicit Paulus: *Et qui mecum eram, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum.*

QUESTIO III.

An Paulus manserit Damasci tribus annis.

Vers. 25: *Cum autem completerent dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi ut eum interficerent...* Vers. 25: *Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submitentes in sportâ.* Vers. 26: *Cum autem venisset in Jerusalem, etc.* Si hic locus confertur cum his quæ habet Paulus ad Galat. 1, v. 18: *Post annos tres veni Hierosolymam, faciliè intelligitur quòd illi dies multi, de quibus hic agit S. Lucas, sint illi tres anni, de quibus loco mox citato agit S. Paulus: nam post utrumque tempus venit Hierosolymam. Attamen difficultè scripi potest ubinam tres illos annos qui computandi sunt ab ejus conversione, transegerit: an Damasci, an verò in Arabiâ, quò immediate post conversionem discessit, prout liquet ex citato loco ad Galat., v. 15, ubi dicit: *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris mee, et vocavit per gratiam suam, ut revelaretur Filius suum in me, et evangelizarem illum in gentibus: continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos; sed alibi in Arabiam; et iterum reversus sum Damascum; deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Patrem, etc.**

Aliqui dicunt quòd Apostolus totos illos tres annos transegerit Damasci, et in locis adjacentibus, prædi-

cando Christum. Fundamentum hujus opinionis est quod Damascus illo tempore esset civitas Arabum: nam dicit Apostolus 2 Cor. 11, v. 32: *Damasci prepositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet.* Aretas autem erat rex Arabiæ Petraræ; ut constat ex Josepho, lib. 18 Antiq., cap. 7.

Sed contra hanc opinionem facit quod Apostolus ad Galat. nimis clarè dicat se mox ivisse in Arabiam, et inde reversum fuisse Damascum; adeoque totos illos tres annos non exegit Damasci.

Videtur S. Hieron., scribens in cap. 1 Epist. ad Galat., sentire quod iverit quidem in Arabiam, sed ibi non diu hæsere, sed mox reversus sit Damascum. Ratio ejus est quod S. Lucas hic de isto itinere nihil loquatur; quod signum est eum in Arabiâ nihil alicujus momenti fecisse, vel non diu mansisse. Sed quamvis S. Lucas nullam faciat illius itineris mentionem, S. Paulus tamen adeo manifestam facit, ut non sit vero simile iter illud tantum fuisse ire et redire. Igitur,

Resp. et dico: Probabilis est quod S. Paulus paucis diebus post conversionem suam iverit in Arabiam, ibique tribus ferè annis manserit, donec sedaretur furor et indignatio Judæorum Damascenorum, quam ob predicationes ejus in ipsum conperant; postea verò Damascum reversus sit, ubi Judæi, resumptâ irâ suâ, voluerunt ipsum occidere.

Probatur, quia tribus annis post conversionem suam, dum Paulus venit Jerusolymam, v. 26, *tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus;* adeoque illi nondum credebant ejus conversionem. Unde, ut sequitur, Barnabas totam rem narravit apostolis, et tunc susceperunt eum. Atqui si mansisset tribus annis Damasci, discipuli Jerusolymitani non ignorassent ejus conversionem; ergo, etc.

Prob. min., quia erat magna communicatio inter Damascum et Jerusalem, ita ut nuntia de unâ civitate ad aliam citò perferrentur, ut patet hic ex v. 15, ubi dicitur quod Ananias, qui habitabat Damasci, mox sciverit persecutionem quam Paulus excitaverat Jerusolymis; et quod venisset Damascum habens potestatem à principibus sacerdotum comprehendendi omnes fideles.

Dices 1^o: Si Paulus post conversionem suam mansisset aliquo tempore Damasci, prædicans Christum, et si fuisset tanta communicatio inter utramque civitatem, rumor insolitus istius conversionis facile pervenisset ad apostolos; atqui non pervenit; ergo signum est quod non fuerit tanta communicatio inter utramque civitatem.

Resp. quod, cum Paulus brevi post ivisset in Arabiam, et amplius à fidelibus non videretur, nec sciretur ubi esset, poterint suspicari quod aut ejus conversio non fuisset sincera, aut iterum reversus esset ad Judæismum; et idè ille rumor non pervenit ad apostolos; vel si pervenerit, fuit valde doctus et incertus; præsertim cum novissent summum ejus zelum pro Judæismo, et iram contra fideles.

Dices 2^o cum Tillemontio: Erat tunc bellum inter Herodem regem Judæorum et Aretam regem Arabum; ergo nulla erat communicatio inter duas istas urbes.

Resp. vel istud bellum fuisse citius, aut serius, vel Jerusolymitanos in eo nullam partem habuisse: nam ex Scripturâ nimis clarè constat quod fuerit illa communicatio. Deinde quomodo Paulus, acceptâ potestate à principibus sacerdotum Jerusolymitanis potuisset Damasci comprehendere fideles, et verosimiliter cives Damascenos, si inter præfatos duos reges fuisse bellum? Quomodo gubernator Damascenus in gratiam Judæorum voluisset Paulum comprehendere? Quomodo permisisset Judæos Damasci habitare, et illic habere synagogas? etc.

Cap. 10, Cornelius centurio cum totâ suâ familiâ baptizatur à S. Petro, atque aperitur gentibus ostium ad fidem. Questiones, quæ ex hoc cap. formantur, theologiam concernunt; et idè easdem hic transilimus.

CAPUT XI ET XII.

Quia Petrus accesserat ad centurionem, hominem incircumcisum, murmurant varii fideles circumcisi, quos Petrus compescit. Barnabas mittitur Antiochiam, qui brevi post etiam eò adducit Saulum. Agabus propheta famem toti orbi imminente prædicat.

Herodes Agrippa, rex Judææ, à Caio Caligulâ creatus, occidit Jacobum fratrem Joannis evangelicæ; deinde S. Petrum in vincula conjicit, qui ex illis ab angelo liberatur; sed Herodes, qui non respuit divinas laudes sibi à populo attributas, ab angelo percussus, et consumptus à vermium, expirat.

QUESTIO UNICA.

Quandonam contigerit incarcerationis S. Petri, et fames ab Agabo prædicta.

Questio hæc non parvam habet difficultatem; quia ex communi Patrum et Ecclesiæ traditione Petrus fuit Romæ pontifex viginti quinque annis incompletis. Item mors ejus non potest differri ultra annum 15 imperii Neronis; uti observavimus in Concord. evang., cap. 28, quest. 6.

Nota 1^a, quod S. Petrus immediate post suam liberationem videatur ivisse Romam, et illic sedem suam collocasse: nam dicit S. Lucas, Act. 12, v. 17: *Et egressus (Petrus) abiit in alium locum.*

Nota 2^a, quod annis 15 Neronis concurrat eum anno 67 æræ vulgaris, à quo si demas 25 annos pontificatus Petri, ejus discessus ex Judæâ Romam incidit in annum 42 æræ vulgaris. Cum autem in hæc questione inter se non conveniant auctores; tres, quæ de eadem circumferuntur, opiniones hic distinctis paragraphis proponemus, ut ex illis unam, quæ sibi magis ardeat, eligere valeat lector. Sit igitur

§ 1. — Proponitur sententia communis.

Resp. et dico: Juxta Baronium, et plurimos alios, incarcerationis Petri, et fames ab Agabo prædicta, contigerunt anno 42 æræ vulgaris, Claudii verò anno 2. Probatur, quia Dio, lib. 6, dicit famem illam in-

gentem fuisse anno secundo Claudii; atqui annus ille secundus concurrens cum anno 42 æræ vulgaris, ut patet ex chronologiâ, quæ infra in fine hujus libri subjiciemus; ergo, etc.

Fames autem illa incepit, dum Petrus erat in carcere: nam dicitur, Act. 12, v. 1: *Eodem autem tempore, misit Herodes rex manus, etc.*

Obj. 1^a: Non vixit Herodes anno integro post liberatum Petrum: nam mox descendit Caseream, quia erat iratus Tyriis ac Sidoniis, et ibi mortuus est, ut habetur Act. 12, v. 19 et seq. Atqui si fames et liberatio Petri accidissent anno secundo Claudii, debuisset Herodes Agrippa adhuc vixisse integro anno et medio post liberationem Petri: nam vixit usque ad annum quartum Claudii, ut constat ex Josepho, lib. 19 Antiq., cap. ult., dicente de Agrippâ: *Vitam finivit... postquam regnasset per septennium; quatuor enim annos sub Caio Casare obtinuit regnum... tribus deinde annis sub Claudio Casare.* Ergo fames et incarcerationis Petri non contigerunt anno secundo Claudii.

Resp. Neg.: maj., quia ex Scripturâ non constat quomodiù vixerit post liberationem Petri: nam ex eo quod S. Lucas deinde referat ejus mortem, non sequitur quod statim secuta sit; siquidem vitam et mortem alicujus consequenter narrare, satis frequens est in Scripturâ. Deinde dicit S. Lucas, v. 19: *Descendensque à Judæâ Caseream, ibi commoratus est.* Quæ verba insinuare videntur quod non modico tempore Caseream manserit, antequam moretur.

Insup ex Scripturâ colligitur quod illo anno, quo grassabat fames, Tyriis et Sidoniis alimenta præbuerit, et anno sequenti ipsis iratus fuerit, fortè quia pro tanto beneficio ipsis præstito non fuerant grati: nam dicitur v. 20: *Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et... postulabant pacem, eò quod alerentur regiones eorum ab illo.* Ergo non insinuat Scriptura quod statim mortuus sit, sed potius quod plus quam integro anno supervixerit: non enim potuit illo anno quo ipsos aluit, eis esse infensus.

Inst.: Dicit S. Lucas quod percussus ab angelo, consumptus vermium exspiraverit, scilicet quia Jacobum occiderat, et Petrum incarcerationem: ergo non tam diu supervixit; aliâ illa pena fuisset nimis diu dilata.

Resp.: Neg. consequ., quia et Saul, postquam à Deo reprobatum esset à regno, regnavit adhuc ad minus sexdecim annis. Si igitur supplicium Saulis non fuerit nimis diu dilatum, multò minus nimis diu dilata fuit pena infligenda Herodi. Præterea S. Lucas aliam rationem offert, quare Herodes percussus ab angelo, consumptus vermium exspiraverit: dicit enim v. 21: *Statuto autem die, Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunal, et concionabatur ad eos. Populus autem clamabat: Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eò quod non dedisset honorem Deo; id est, honores divinos sibi delatos non recusat, sed libens sibi deferri permisisset. Hæc igitur fuit propriè dicta ratio, quare ab angelo percussus mox exspiraverit.*

Obj. 2^a: Fames illa fuit post mortem Agrippæ, ut constat ex Josepho, lib. 20 Antiq., cap. 3. Ergo non contigit anno secundo Claudii.

Resp. Neg.: consequ., quia fames illa incepit ante mortem Agrippæ, et adhuc duravit post mortem ejus. Quinimò fames duravit sub Fado, qui defuncto Herode Agrippâ, statutus fuerat procurator Judææ: et sub Tiberio Alexandro Fadi successore, ut patet ex Josepho loco præcitato, ubi dicit: *Herodum tempore (scilicet Alexandri et aliorum, de quibus ibi agitur) magna fames Judæam tenuit, quando regina (Adiabenerum) Helena frumentum, ingenti sumptu ex Ægypto comparatum, in egenos distribuit.* Adeoque illa fames fuit valde diturna.

Obj. 3^a: Si fames et incarcerationis Petri contigerint anno 42 æræ vulgaris, Petrus debuisset esse occisus à Nerone anno 67 juxta supra dicta, Nota 2^a. Atqui S. Petrus illo anno non fuit occisus à Nerone; ergo. Prob. min., quia anno 67, qui erat annus Neronis 15, Nero non erat Romæ, sed in Achiâ, ut multis argumentis probat Bollandus, tomo 1 aprilis, pag. 16. Ergo isto anno S. Petrus non potuit à Nerone occidi. Resp. Petrum et Paulum martyrio affectos fuisse sub Nerone; id est, non sub ejus presentia, sed sub ejus persecutione. Nec ullus S. Pater aut antiquus historicus dicit illos occisos esse, dum Nero existebat Romæ, sed tantum quod passi sint sub Nerone.

Solus forsân S. Clemens papa, epist. 1 ad Cor., cap. 5, videtur insinuare quod presente Nerone interfecti sint; si tamen ejus verba non potius significant ipsos non vi persecutionis personalis, à Nerone excitatæ, sed vi specialis mandati, personam ipsorum determinantis, et Romam à Nerone missi, martyrio affectos esse.

§ 2. — Proponitur sententia Eusebii.

Juxta Eusebium, lib. 2, cap. 10, fames illa et incarcerationis Petri contigerunt anno quarto Claudii; id est, anno 44 æræ vulgaris.

Prob. 1^a, quia Scriptura aperte insinuat quod Herodes Agrippa paucis temporibus post incarcerationem S. Petri mortuus sit: nam postquam S. Lucas, Act. 12, incarcerationem et liberationem S. Petri retulisset, statim de Herode Agrippâ subjungit, v. 19: *Descendensque à Judæâ Caseream, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis.* Ubi particula, autem, videtur omninò esse causalis; ita ut sensus sit: *Ivit Caseream Philippi, civitatem conterminam Tyriis et Sidoniis, quia erat ipsis iratus.* Deinde prosequitur Lucas: *At illi unanimes venerunt ad eum, et persuasus Blaſto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eò quod alerentur regiones eorum ab illo. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunal, et concionabatur ad eos; scilicet ad Tyrios et Sidonios, ut textus naturaliter insinuat, cum de nullis aliis antea fecerit mentionem, et communitè prædicatum fuerit, ut res postulantes pacem diem determinatum starent, quo illis in splendore sue majestatis comparentes, audientiam darent. Populus autem (scilicet Tyriorum et Sidoniorum); nam Judæis*